DE IRRITATIONIS NATURA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Hieronymus Moretti

DE
IRRITATIONIS NATURA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM ASSEQUENDAM

IN ANTIQUISSIMO AC CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE EXPENDIT

HIERONYMUS MORETTI

BRIXIENSIS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINI

MDCCCXXXI

Nullum medicum argumentum fuit tam ab omnibus pathologis perpensum, quam illum processum morbosum *Irritationem* vocatum. Variae Auctorum opiniones etiam vigentes in universa Europa demonstrant difficultatem, nec non gravitatem hujus argumenti. Attamen sicuti in praxi medica est morbus satis frequens, et magni momenti; ideo in hoc publico experimento meorum studiorum tale argumentum seligere arbitratus sum. Circa medelam, nulla verba; quia scimus medicum secundum morbi naturam eam semper institue-

re: sed in meis investigationibus genesim solum hujus processus morbosi mihi propono spacciatim perpendere; idest qualis sit pathologicus primarius processus, qui formatur in variis organis abnormiter stimulatis a diversis motoribus internis ac externis; et plus clare, in quo *Irritatio* consistit.

Actio moderata agentium internorum ac externorum in fibra organica et viventi manifestatur cum phenomenis reactionis ac motus vitalis consentaneis semper conditioni vitae naturali: si autem isti motores in eorum actione excedunt; idest si nimia vi agunt in fibra viventi; tunc excitationem majorem in conditionem vitae producunt, pro quo salus statim est perturbata, et variae functiones organicae infirmae ac abolitae evadunt.

Sed ob cognoscendam vim actionis variorum motorum organicae materiae, nos debemus illam in suis effectibus considerare. Revera ille stimulus, qui in aliquibus indifferens est, aut faciliter toleratus, in aliis causa irritationis aut phlogoseos, et etiam fatalis eis evadere potest. Variae idiosincratiae hujus

sunt causae; quoniam istae in illum organum peculiarem activitatem ac exaltationem vitalem majorem producunt: et hinc evenit, ut per actionem agentium stimulantium, hoc organum faciliter alterationibus organicis expositum sit. Vinum ex. gr. facile toleratur a quibusdam individuis magnis dosibus propinatum, dum in quibusdam aliis causa gastritidis esset.

Affectiones etiam morales, quae influunt tam in morbis humanis, et quae sunt, dici potest, motores praecipui hominis, qualem diversitatem effectuum non gignunt in variis individuis? Mater amans ac benevola continuo luget immaturam mortem amati sui filii, et forsan ille acerbus dolor, qui semper illam affligit ei fatalis evadere potest: ita non est aliquarum matruum, quae minori sensibilitate praeditae, imperterritae vident suum filium anhelitum extremum exhalare.

Ab hoc videri potest, quam difficilis sit gradum exaltationis vitalis distinguere in fibram organicam et viventem a stimulis productum; quoniam scimus reactionem vitalem in omnibus individuis equalem non esse.

Sed in examinando processu morboso, qui oritur ob actionem nimis fortem stimulorum, videmus in organo affecto affluxum sanguinis majorem evadere, sensibilitatem exaltatam, dolorem oriri, et haec phenomena crescere ac imminuere secundum actionis stimulorum intensitatem. Ergo hic morbosus processus est naturaliter semper sibi aequalis, excepta intensitate; et si verum est hoc, mihi videtur admitti non posse illam realem divisionem, quae fit a pluribus auctoribus inter Irritationem ac Phlogosim; saltem quando hic processus non sit ad acmen suum perventus, et difficilis resolutionis. Revera ut primum fibra vivens est forti stimulo affecta, ibi fit affluxus sanguinis major, ibi dolor aegrum exacerbat secundum sensibilitatem organi affecti et idiosincratiam individui; et si vis hujus stimuli valde intensa ac continua esset, tunc habebimus *Inflammationem*, quae aliud non est nisi ipse pathologicus processus ad suum acmen sublatus.

Secundum ideas igitur, quas de hoc morboso processu habeo, nescio ideam Hyeromi-

nii comprehendere, qui Irritationem in sequentibus verbis definit.

„ Per semplice *Irritazione* noi intendiamo, „ Ipse dicit, il primitivo morboso cambiamen„ to dei moti organici, che si sviluppa im„ mediatamente dietro l'indotta condizione ma„ teriale di dolore, ossia dietro l'applicazione „ di una potenza, o per la sede, o per qua„ lità, o per quantità *irritante*, sia ella ester„ na o interna (sangue, linfa, bile, latte, ori„ na etc.) alla macchina animale, e che ha „ per carattere di cessare più o meno presto „ in un coi morbosi fenomeni, che simpatica„ mente ne dipendono, comunque fossero gra„ vi, quando che sia eliminata o neutralizzata „ od ottusa la potenza medesima (1)„.

Sed nunc videmus, in quo vertit haec definitio „ *Per Irritazione*, Ipse dicit, noi inten„ diamo il primitivo morboso cambiamento „ dei moti organici „ Ergo ammittit alterationem in organis, si haec mutatio motuum

(1) Prolegomini di Patalogia empirico-analitica del Dott. G. Geromini.

organicorum produci debet. Praeterea, subjungit „ ha per carattere di cessare più o meno presto tolta la causa irritante „ idest interdum esse potest haec alteratio talis, ut necessarium sit tempus, ut cessent morbosa phenomena; sed nos scimus esse saepe phlogoses sic leves, quae per se ipsas resolvuntur, et in brevissimo temporis spatio: immo in definienda phlogosi sic Ipse dicit „ Esso, idest „ processum inflammatorium, noi riteniamo „ come un incremento del primo, ossia dell' Irritazione „ Qualem differentiam igitur inter Irritationem ac Phlogosim invenit Hyerominius? certe nil differentiae, excepta intensitate processus morbosi; quoniam varii exitus, qui phlogosi succedunt, non indicant jam hunc esse processum pathologicum diversum; sed immo eundem processum morbosum, qui perventus jam sit ad suum acmen, et ideo in hoc casu resolutio perfici nequit, quia magna stimulorum intensitas mutationes organicas illae consentaneas gignit.

Ex iis infertur Irritationem Hyerominii ulma anatilysi eandem esse ac irritationem Gal-

lorum; et si Hyeroninius Irritationem ab Inflammatione distinguere voluit pro proprietate, quam habet resolvi plus minusve cito, quando amotae sint causae irritantes: etiam hoc obstaculum nihilominus ablatum erit, quando observetur inflammationes levissimas habere ipsam proprietatem resolvi plus minusve cito stimulis ablatis.

Perpensa igitur rei essentia, nos concludi possumus Irritationem eundem processum pathologicum esse, quam Inflammationem, quia praesefert, excepta intensitate eadem phaenomena: praeterea si definitionem Irritationis secundum Hyeronimii etiam admittere volumus, quomodo Medicus ab Inflammatione eam distinguere poterit? quando certus erit, ut ablatis stimulis desint omnia phenomena morbosa?

Calculus in vescica dolores atroces saepe producit, quomodo eos distinguere potero si sint isti ab Irritatione aut lenta phlogosi producti? revera illae crassitudines, quae inveniantur in membranis vescicam calculosorum constituentibus, non indicant forsan hunc esse productum lentae phlogoseos? quoniam, exce-

ptis aliquibus levibus doloribus propriis etiam Irritationis, nil adest, ut possimus circa existentem processum inflammatorium dubitare.

In febribus saburralibus, qualem dolorem, et tentionem in epigastrio, quam aeger persentit? qualem febrem, dolorem capitis, delirium? quae videntur quasi pro istis symptomatibus validae febres gastricae; attamen remedium catharticum, emeticum, fugat haec phenomena omnia.

Verum est autem, Hyerominius id etiam affirmat, hic processus morbosus potest crebro fatalis evadere: immo, Ipse dicit, exempla non desunt subitaneae mortis, quae pro violentis pathematibus evenerunt, quod confirmat, Irritatio potest lethalis evadere, et id quia Irritatio potest occulta remanere etiam aliquandiu in nervis et ideo phenomena Inflammationis non evolvi.

Sed Ei quaero, in quo haec Irritatio nervosa consistit? forsan quia hic processus pathologicus solis nervis se limitat, naturam mutabit? capillares nervosi erunt forsan diversi a capillaribus aliorum organorum?

Ideo concludi possumus: quando motores interni ac externi agunt in materia organica et viventi et producunt in parte affecta majorem affluxum sanguinis consentaneum semper stimulorum intensitati et idiosincratiae individui, cum evolutione caloris et cum dolore, tunc habemus in hoc pathologico processu, quando non sit ad suum acmen pervento, et difficilis resolutionis, illud phenomenum, quod dici debet *Irritatio*.

Ecce mea opinio, qualis sit, tandem in hac pertractatione exposita. Credo, onus susceptum aliquo modo me expletum habere: verum est, plura etiam remanent dici ad melius explanandum hoc argumentum; sed arbitror, quod diximus sufficere posse, quia necessaria jam exposita sunt

THESES

I.

Vis vitalis est in omnibus morbis semper laesa.

II.

Mercurialia caeteris preparatis in syphilide sunt praeferenda.

III.

In medela morborum melius est uti paucis remediis.

IV.

Anthimonialia egregia sunt in peripneumoniis.

V.

Pupillae dilatatio non est semper vermium signum.